

F. R. 55. (1)

(X2048398)

Zb.

1052

Q. B. V. D!  
Ad  
MEMORIAM  
CLARÆ NOBILITATIS  
GEORGII FABRICII CHE-  
MNICENSIS,

ILLUSTRIS *Gymnasii Misnenensis*  
RECTORIS MERITISSIMI,

Actu Valedictorio

d. 21. April. M. DC. XCVII.

finitis statim sacris matutinis

gratâ mente

renovandam, recolendam

NOBILISSIMOS

SCHOLÆ CHEMNICENSIS EPOPTAS & PATRONOS,

nec non Rei Literariae Fautores

Omnes,

ut ad rostra quælibet velint convolare,

enixissimè rogat

M. Godofredus Shulzius,

Rector.

*Ære Staesseliano.*





Concurrite,  
CHEMNITII CIVES!  
CIVEM velut ab inferis produco,  
ad superas qui per Virtutem evasit auras,  
Et licet inferiore ortus loco;  
Doctrinae tamen, Famae Virtutisque laudibus  
nulli extitit inferior.

*Propriis effulgere laudibus majus est, quam fumosas praeferre imagines*

Adeste igitur,  
quibus est

in oculis virtus,

in linguis favor,

in animis sapientia,

in praecordiis pietas.

FABRICAM aperio, verius AURIFICINAM,  
in qua non habetis  
aut Fabrorum fabam, aut quod pueri in faba.

*Aurificis filius*

statera probans aurificis,

*Tholosano* quid aurum distet coronarium,

Tholosanum abdicavit, auri Sapientiae captus fulgore.

Auro satiari, in auras attoli cupidus,

noluit cum *Crasso*;

influere in aures maluit aureus

*Saturnino aeo* dignior.

Nostis omnino,

GEORGIUM FABRICIUM CHEMNICENSEM

quam eximie distingvat à Vulgo

*aterna Virtus, sapientia divina, Decus immortale.*

Fulsit certe VIR honoratissimae imaginis fama claritudine,

meritorum pulchritudine imò & copia.

Suum ostentat ITALIA FABRICIUM

bis Consulem, bis Triumphatorem,

paupertatis studio nobilem,

continentiae beneficio sine pecunia praedivitem.

Namque corrumpi nescius,

parvo potens

major SAMNITIBUS, PYRRHO Rege βασιλικῶς εἰρος extitit.

THUSCIA iactat FABRICIUM

Gloriam suam ANSHELMI virtutibus illustrantem,

Orientalis POMERANIA

JACOBUM suum literis monumentisque praedicat FABRICIUM,

Theologum apud *Sedinenses* famigeratissimum,

qui in cathedra loquens obmutuit,

& obmutescens de virtutum suarum loquitur cathedra.

NORICUM se effert magnifice,

JOHANNIS FABRICII

ardentissimae pietatis memoriam recolens.

Suum



Suum in oculis LAURENTIUM fert SAXONIA,  
Ebraicæ Lingvæ *Vindicem,*  
Wittebergæ *Delicium.*

Sed gestiant aliæ terræ, quocunqve calentes Sole,  
suorum exsplendescere gloria FABRICIORUM:

TIBI, MISNIA,

GEORGIUS FABRICIUS CHEMNICENSIS,  
ILLUSTRIS GYMNASII MISENENSIS RECTOR,  
POLYHISTOR SAGACISSIMUS,  
Eruditionis piæ ac solidæ OCEANUS

hæret in medullis,

animo penitus infedit,

ut excidere memoria aut effluere possit nunquam.

TE vero, CHEMNITIUM,

ad Honoris in Amore & Amoris in Honore civis memoriam evocari

adeò non tædebit,

ut confluas ad confessum,

sponte ruas in amplexum

VIRI supra famam *meritissimi,*

*Pæta Principis,*

totiusqve rei literariæ, ORNAMENTI

nisi virtutem ultimæ fortis esse credas.

Tantus enim hic est CIVIS,

ut splendor maximarum Virtutum

acutissimi cujusqve ingenii aciem obtundat,

multitudo confundat,

aut certe silentium minus dicturo imponat.

Tam frugi fuit PATRIÆ

quam suæ FABRICIUS olim ITALIÆ.

ITALIA redux

ITALIAM in GERMANIAM invexit,

ut ROMA

GERMANIS NOTIOR ITALIS,

& LATIUM late per MISNIÆ SAXONIÆq; dominetur oras.

In Illustri MISENENSIVM Fabrica illustrem posuit operam

in contexendis Historiis,

pangendis Carminibus,

poliendis ingeniis,

ut ab illis

*Ecclesiis condecorandis,*

*Aulis illustrandis,*

*Curis nobilitandis*

*Scholis exornandis.*

Decus accesserit, splendor affulserit.

Quos enim aluit fovitq;

illorum in omnes adeò se effudit oras industria,

ut circumfusus bonis extra fata, supra vota

Numine propitio, Nomine favente floreat inter cineres.

Eâ ratione vivus moriensq; MAXIMORUM ad se traxit animos.

Summi



76-1052

FK.

Summi IMPERATORIS  
MAXIMILIANI II.

splendidissima NOBILITATIS adeptus INSIGNIA,  
impresso Diplomate nostris adhuc in manibus haerente,

quæ viguit Nobilitatis fama  
famæque Nobilitate,  
ut Urbis nostræ HONOS Orbi magnum addiderit DECUS.

Sed quid illustratum eo,  
quem in luce posuit Virtus, Fama, Gloria,  
cujus etiam non capit umbras ac tenebras persona?

Qui de PATRIA mereri student optimè

TRES JUVENES OPTIMI

SOLEM in solo patrio exhibituri,

SIDUS (non inter minora) maximum,

Natales GEORGII FABRICII Chemnicensis

piis Manibus pie celebrando,

in labore me vacare jubent, labore,

Nam

**I. IMMANUEL HENRICUS GARMANNUS CHEMNICENSIS,**

Incltyti PARENTIS certissimus Magnæ Virtutis Hæres,

Myteriorum Naturæ Maximorum sagacissimi

solertissimus Æmulator

PATRIÆ suæ Spes prolixa

ab umbris (si in perpetua dantur luce) proferet in lucem

GEORGIUM FABRICIUM Chemnitii Sidus Clarissimum.

**II. MARTINUS HÜBLEBUS Chem. CHRISTIANI Fil.**

bonæ Indolis, expectationis non dubiæ Juvenis

MAXIMILIANI II.

Fabricii BRABEVTAË persequetur laudes.

**III. MARTINUS HÜBLERUS Chemnic. BALTHASARIS Fil.**

LIPSIAM tendentibus DUOBUS,

Nobilitatis FABRICIORUM Chemnicensium Insignibus expositis,

faustos comprecabitur Viales

& fata ex voto.

Memorias laude clarorum sanctè recolere

ratio probat, jubet Sapiencia;

quoniam Majorum gloria posteris est lumen,

bonorumque accendit æmulationem.

Dabis igitur, L. B. bonis crescendi copiam,

si feceris audiendi copiam:


Sin spreveris, Fabriciani dolebunt Manes

Fabricianus Brabevta feret acerbe,

& Fabriciana expallescent Insignia:

Te autem in ruborem dabunt,

suum literis non dependi pretium.



107

nc





F. R. 55. (1)

(X2048398)

Zb.  
1052

Q. B. V. D!  
Ad  
MEMORIAM  
CLARÆ NOBILITATIS  
GEORGII FABRICII

CHEMNICENSIS,  
ILLUSTRIS Gymnasii Misen  
RECTORIS MERITISSIMO

Actu Valedictorio  
d. 21. April. M. DC. XCVI  
finitis statim sacris matutinis  
gratâ mente  
renovandam, recolendam

NOBILISSIMOS  
SCHOLÆ CHEMNICENSIS EPOPTAS  
nec non Rei Literariae Fautores

Omnes,  
ut ad rostra quælibet velint convenire  
enixissime rogat

M. Godofredus Shulz  
Rector.

*Herc. Staessliano.*

